EPITHALAMION,

de nuptiis
Illlustris & Magnifici Domini
ALEXANDRI MYSZKOWSKI
de Myrow,

Et

ELISSÆ, Filiæ Illustriss. CHRI-
STOPHORI KOMOROWSKI
de Komorow, Comitis Liptouiæ Ara-
uiæq́; Domini in Zywiec, Castellani
Sandeceñ. &c.

A IOANNE OSTROWSKI.

Crac. In Officina Iac. Sibeneycher.
Anno 1528.

Ad Illustrem Comitem Nicolaum Komorowski sponsæ fratrẽ.

CLaris Nicoleus nate parentibus,
O et præsidium dulce decus meum,
Cuius Castaliis ora liquoribus
Tinxerunt teneri Pegasides Deæ,
Dum latè peragrans Germaniæ solum:
Visus Dedalea Palladis es viris.
Clarum nomen auorum tibi non deest,
Nam dignum celebri stemma viro tenes
Cissam, Danubium, flumine cum Saua,
Zoardus quod origo tuæ domus,
Turgenti ense Canino caput abstulit,
Hinc ergo arma geris latiferum Canem.
Virtus nota tuæ gentis apud Dacos,
Hunnos, et Valachos, atq; Podolios,
Quare nostra tui Musa memor diu,
Te dignis Dominum laudibus euehet:
At nunc versiculos accipe pauculos.

EPITHA-

EPITHALAMION.

DVm noua constitui cõubia ludere versu,
Atq; maritalis pacta referre thori.
Adsis Melpomene, & vires concede ca-
Nã sine te nullũ suscipiemus opus. (nẽti
Exue seuerum, suauemq; assumito vultum,
Liberiore moue plectra sonora manu.
Cinge caput myrto, sic tempus postulat & res,
Exornentq; tuas florida serta comas.
Carmina de thalamis, tenui meditemur auena,
Qualia vel sponsus vel noua nupta legat.
Venit enim tempus, quo Komorouia virgo
MYSZKOVII clarum debet in ire thorum.
En Deus hanc lucem rutilo tibi misit ab axe
Inclite MYSZKOWI, qua tua vota tenes.
Quæq; tui casto flagrauit amore libenter,
Iam venit in thalamos, dulcis ELISSA tuos.
Cur Hymenæe tuo citius non fungere dono?
Huc ades, & ludens huc Hymenæe veni.
Te sine namq; ratum nil fiet, te sine frustra
Ambo ineunt socij fœdera fausta thori.
Te sine nullus amor perstabit, nulla voluptas,
Et thalamus, fælix te sine nullus erit.
Quare age. odoriferis præcingeq; tempora sertis
Sume nouas thædas, atq; Hymenæe veni.

Coniugij leges tu confirmare perenni
Debebis ritu, lapsus vt Hesper erit.
Ecce quid aspicio insignes fulgentibus armis?
Quid populi tota plausus in vrbe fremit?
Hymen, ô hymenæe, hymen, hymenæe sonantur
Iam dederunt raucum tympana quassa sonum.
Impleruntq; tubæ magnis clangoribus arcem,
Quæ ZYWIEC celebri nomine dicta iacet.
Cõminus accelerare & equestres pandere turmas,
Incipiunt agiles ad noua festa viri.
Dextera iam dextræ iungetur, vterq; subibit
Vincula, consuetæ relligionis opus.
Hæc vbi festiuo thalami de more geruntur,
Tunc Patria ad sponsum talia verba dedit.

Patria ad Sponsum.

O Heros iuuenis, generoso prodite partu
Vnica Sarmatici gloria, lausq; soli.
Cuius auita domus toti notissima regno,
Protulit insignes Marte potente viros.
Non memorabo Petrũ. qui me persepe labantem
Prouidus à multis extulit ipse malis.
Quiq; huius tenuit faustè moderamina cleri,
Quem fouet à primo condita terra CRACO.
Nolo Palatinos referam, queîs cura suprema
Publica priuatis postposuisse fuit.

Nomina

Nomina vel speciosa quibus Castella dedêre,
In regno quorum copia magna meo.
Nonnè satis dignis celebrabitur ille Camænis
Quo WOINICZ gaudet præside terra dato.
Hæc animo recolens maiorum gesta tuorum
Incipies simili condicione sequi.
Hinc imitanda petes exempla domestica vitæ,
Seu te læta quies bellauè sæua prement.
Plura loqui licuit, sed te ducturus ad aras
Hymen expectat, mater & ipsa Cypri.
Interea gladium, galeam, cristaluè minantes,
Munera parua quidem me tibi dante cape,
Strenuus ergo geras animum curamq; virilem
Nec virtute tibi quid prius esse putes.
Sic tibi consortiq; tuæ fælicibus assit
Tædifer auspiciis teq; tuosq; beet.
Sic vos alma suo genitrix Æneia cesto
Iungat, & amborum pectora nectat amor.

Chorus Musarum.

En vt eat lepidis circumdata sponsa cateruis,
En vt eant faciles ære nitente chori.
Sis Hymenæe bonus, sint tædæ læta iugalis
Omina, sint socij fædera fausta thori.
Sponsa tamen reliquis formosior omnibus vna
Incedit medio conspicienda choro.

 Cuius

Cuius & ingenui mores vultusq; decori
Vix possunt numeris vt meruere cani.
Os cuius roseum, pudibundaq; lumina, vix vt
Sint nitidi stellis æquiparanda poli.
O quàm lucentum sit gratia rara genarum
Ac si quis niueum sanguine tingat ebur.
Quantus inest mẽbris decor omnibus, ipsa Dione,
Aut Venus huic ceston tradidit alma suum.
Iuppiter hanc Danaë præponeret, optima quãuis
Fæmineum Danaë dicta sit esse decus.
Digna KOMOROVIO tam claro digna parente
Filia, qua genitrix esse superba queat.
Cõiuge MYSZKOVIO dignissima sola marito,
Quo quid in his terris gratius esse potest?
Hic genus insigni deducit sanguine, cuius
Perpetua celebris laude propago viget.
Huic nuptura viro fortunatissima iure
Diceris, ô summo digna puella Ioue.
Dij tibi diuitias dederint, & læta cubilis
Gaudia fortunent, coniugiumq; tuum.

Calliopius.

Vesper adest Musæ, lætisq; exacta choreis
Candida feruenti cessit ab axe dies.
Nox ruit & toto splendescunt ignea cælo
Lumina, sidereus fulgor in orbe micat.

Iamq;

Iamq; faces veniunt famuli portare parati
Iamq; frequens crebris ignibus aula micat.
Hymen, ô hymenæe, hymen ades ô hymenæe
Officio præsens indiget hora tuo.
Ecce venit, date cuncta locũ, Deus ecce vocantes
Audiit, ad munus letus it ipse suum.
Ipse facemq; tenet. Tyrio Velatus amictu,
Qua venit ambrosio spirat odore locus.
Intorquens oculos, tandem cum vidit ELISSAM
Virgineos (fatur) desere sponsa choros.
Quid opus est lachrimis. Ah parce tenerrima parce
Pulchra quid effusis fletibus ora rigas?
Non te detineat roseus pudor. I, pete lectum
Sponsus & ipse vocat, tu meus ardor ades.
Quid iuuat ardentem multum torquere morãdo?
Accede ad sponsum, sic iubet ipse parens.
Et vos legitimo dum fædere numina iungunt,
Viuite concordi pectora vincta thoro.
En Hymenæus abit, thalamus iam clauditur intus,
Et mihi dixit Hymen, hæc cecinisse sat est.
Non prius inde tamen discedens Musa sileto
Donec vtrisq; optes, vt queat esse parens.
Vnanimiq; thoro viuendo molliter, annos
Illa Sybillinos, Nestoris ille ferat.

Chorus

Chorus Virtutum, ad sponsæ Parentem.

Si te condigno versu celebrare velimus,
Ilias est eius longa futura rei.
Non tibi nobilitas, non clarum nomen auorum
Et comiti meritum non tibi stemma deest.
Notus es Orphei bellans in saltibus Æmi,
Notus, & Hesperia clarus vbiq; plaga.
Clemens esse soles rectis & sontibus atrox
Nomen ob id gratum Christi ferentis habes,
Hæc tibi gratantes Genero, natæq; dicamus
Carmina pauca quidem, lætus at illa cape.